



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Quibusdam præmissis referuntur sententiæ,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

mens humana per varias operum species exercitata (seu velut ager spiritualis excolitur) ad multiplicem virtutis fructum interius fecundetur : quia postquam per concupiscentiam ad multiplicia quæ & transitoria se dividi permisit, sicut multa diligens in hoc per affectum dicitur, sic mutabilia sequens variatur : & idcirco ne suâ mobilitate semper ad deteriora descenderet, talibus nutrienda fuerat studiis, in quibus & per varietatem rerum foris excitata, & amulatione virtutum intus accensa, proficiendi occasum inveniret. Proposita igitur species corporales, in quibus sunt opera exercenda, ut medicinam interiori homini, exterior homo prepararet, eique subesse ac prædesse addiceret : nam cum prius humana vita per duo exercitationum genera cucurrisset, in altero ad usum pro natura, in altero ad vitium pro culpa, congruum erat ut tertium exercitationis genus adingeretur, ut per illud, unum de duobus primis evanesceret, quia erat nocens; alterum persiceretur, quia non erat sufficiens, &c.

Hanc rationem egregie etiam prosequitur Soto in 4. sent. dist. 1. quæst. 2. art. 1. his verbis : Dum homo in statu innocentie perfruebat, solâ divinâ contemplatione fruebatur; ad hæc autem ima per peccatum demissus, rerum varietate gaudet. Id quod Christus in illis sororibus nos admonuit, quarum admodum Marthâ erga plurima se sollicitante, contemplativa Maria dixit, unum est necessarium. Si ergo puris spiritualibus homo juberetur vacare, esset à sua natura valenter abstractus : quod certe egerimè ferret. Motem ergo Deus nobis gessit, ut sacramentorum varietate oblectati, ad nostram comparandam salutem sensum propensiores. Delectat enim nos nunc basilicum extruere, mox sacrificia celebrare, deinde orare, & nunquam hymnos cantusque intonare divinos. Alii incumbit sacramenta ministrare, atque alios expedit suscipere, per quæ quidem virtutum munera à cunctis idolorum servitutibus distrahimur. Id quod in illis Neophitis novi orbis experimento comperitur. Mirum enim in modum in istiusmodi caremoniis exultant, per quas à sua idololâtria semoveantur.

ARTICULUS PRIMVS.

An aliqua sacramenta fuerint de facto in statu innocentie, vel futura fuissent Adamo non peccante, supposito saltem quod posteri eius peccassent?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia.

Notandum primò, triplicem in titulo hujus articuli difficultatem insinuari. Prima est, an de facto institutum fuerit aliquod sacramentum pro brevi illo tempore quo status innocentie in Adamo duravit? Secunda, an si Adamo non peccante, status innocentie in omnibus ejus posteris durasset, fuissent pro eis aliqua sacramenta instituta? Tertia, an ex hypothesi futuri peccati in aliquibus ex posteris Adam, ipso non peccante, pro eis fuisset aliquod sacramentum in remedium peccati institutum? Notandum secundo, quod sicut quando in Tractatu de Incarnatione quaerunt Theologi,

Tomus V.

utrum Adamo non peccante Christus venisset? hoc intelligi debet, ex vi decreti quod Deus de facto habuit, non verò ex vi alterius quod habere potuisset; certum enim est, Deum ex vi alterius decreti quod potuisset habere, Adamo non peccante, carnem potuisse assumere. Ita similiter quando hic quaeritur, an si Adamo non peccante, status innocentie in omnibus, vel saltem in aliquibus ejus posteris durasset, fuissent aliqua sacramenta à Deo instituta pro ipsis? hoc intelligi debet de institutione sacramentorum in eo statu, ex vi decreti quod Deus ab aeterno habuit, non verò de institutione sacramentorum faciendâ ex vi alterius decreti quod in Deo esse potuisset; cum certum & indubitatum sit apud omnes Theologos, Deum potuisse, de absoluta potentia, instituere sacramenta in statu innocentie, hoc enim nullam absolute implicat contradictionem. His præmissis,

Circa res difficultates propositas varia sunt Authorum placita. Prima sententia asserit de facto fuisse aliqua sacramenta à Deo instituta pro brevi illo tempore, quo status innocentie in primis parentibus duravit. Ita Durandus in 4. dist. 1. quæst. 2. ubi ait in statu innocentie fuisse sacramenta, non ratione medicinæ, sed ratione eruditionis. Quam sententiam plusquam probabilem esse dicit Alanus Tractatu de sacramentis cap. 7. illamque etiam ut probabilem defendit Alensis 3. parte, quæst. 1. membro 2. art. 1. Pro ea etiam citari possunt omnes illi Theologi qui docent matrimonium Adami cum Eva fuisse sacramentum: nimirum Petrus de Soto, Alphonsus à Castro, Catharinus, Rossetius, Pighius, & Henricus Angliæ Rex, quid docuit in Tractatu de sacramentis, quem edidit, dum esset Catholicus, & antequam in apostoliam incideret.

Secunda statetur quidem pro illo brevi tempore quo status innocentie duravit, nulla extitisse sacramenta strikte sumpta; si tamen status ille diutius durasset, suppositâ opinione Scoti asserentis Christum venturum, etiam Adamo non peccante; in illa, inquam, hypothesi, futurum esse aliquod sacramentum, nempe Eucharistiam, quia (inquit) est sacramentum maxime expetibile & independens à peccato, sicut à significatione Passionis Christi, quæ facile excludi posset, remanente præsentia reali Christi, & intimâ unionem, quâ nos sibi conjungit per hoc sacramentum. Ita Suarez & Coninchus, qui addunt, consequenter etiam futurum in eo statu sacramentum Ordinis ad ministros tanti sacrificii & sacramenti convenienter instituendos.

Tertia distinguit, & dicit quod si Adamo non peccante status innocentie in omnibus ejus posteris durasset, nulla etiam pro eis futura fuissent sacramenta; si tamen primo parente non peccante, aliqui ex ejus descendibus potuissent peccare, & de facto peccassent, pro iis qui peccassent, institutum fuisset aliquod sacramentum. Ita ex Thomistis Nunno, & Serra hic art. 2.

D 2

§. II.